



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 41. Scriptorum Ecclesiasticorum opera & decessus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

**Sæc. XVIII.** unicus Principis Frisiæ Orientalis, Joannes Emanuel Pachæco Acunæ Dux de Escalone olim in Catalaunia, Aragonia, Neapolitano & Siculo Regno Pro - Rex, ac denique Friderica Augusta Schwarzenburgica Princeps.

## §. XLI.

*Scriptorum Ecclesiasticorum opera  
& decessus.*

*Elog. du  
R. P. de  
S. Marth.*

Non pauci ex Scriptoribus Ecclesiasticis hoc anno in mortis prædam cessere. Hos inter primo loco recensendus venit Dionysius San - Marthanus Prior Generalis Congregationis Benedictinæ S. Mauri: Hic Parisiis Anno 1650. natus, ac decimo octavo ætatis anno S. Benedicti institutum professus, insigni pietate, doctrina, & prudentia præclarum sibi nomen comparavit, splendidissimum Ordinis sui decus, ac lumen. Nulli pepercit labori, ut suos Religiosos eo permoveret, ut Constitutionem *Unigenitus* sincero reciperent animo: Nec penitus inanis erat ejus labor, ipse enim suo exemplo horum plusquam quadraginta induxit, ut sequenti formulæ secum subscriberent: *Nos subscripti, acceptis Roma literis intelleximus, summum Pontificem Benedictum XIII. post P. P. Clementem XII.*

& Innocentium XIII. Prædecessores suos Sæc. XVIII.  
 declarasse, quod Bulla Unigenitus nulla- A. C. 1725.  
 tenus evertat gratiam ex se efficacem, nec  
 adversetur doctrinæ SS. Augustini & Tho-  
 mæ, illum quoque viva voce declarasse, quod  
 dicta Constitutio in nullo capite a Regulis  
 morum & disciplinæ aut a dogmate  
 a S. Carolo fidelibus, approbante S. Sede,  
 tradito recedat, eapropter declaramus, nos  
 Bullam Unigenitus libentissime ea, qua  
 par est obedientia, & in sensu, in quo summus  
 Pontifex Benedictus XIII. eam declarat,  
 recipi vult, & recipit, & nos reci-  
 pere. Ita censemus, ac ita docere parati  
 sumus. Facta hac subscriptione dignif-  
 simus hic Vir paulopost trigesima Mar-  
 tii animam suam Deo reddidit. Fe-  
 runt, ipsum decessisse ex mærore inde  
 concepto, quod suam Congregationem  
 per Breve Pontificium Sacræ Sedi plene  
 reconciliatam videre non potuerit. Ut  
 ut de hoc fit, id omnino certum est,  
 quod hic Præpositus in urgenda hac  
 subscriptione adeo non defecerit, ut  
 etiam a suorum quibusdam excessisse  
 arguatur. Ceterum insignis erat pau-  
 perum Patronus, quibus non raro quic-  
 quid charum habebat, imo vestes quo-  
 que suas a corpore detractas elargie-  
 batur, adeo ut cuidam mendico, cum  
 cetera deessent, numisma aureum, quod  
 sibi a Papa donatum erat, erogaret.

Sæc. XVIII

A. C. 1725

Porro ex ingenii sui monumentis, quæ posteritati reliquit, commendantur præcipue ejus tractatus de Confessione auriculari contra Calvinistarum, præsertim Dallæi errores, Responsum ad querelas Protestantium ob existimatam persecutionem in Galliis, Discursus circa Angliæ invasionem a Principe Arausico tentatam: Plures Epistolæ ad Abbatem de la Trappe, oratio funebris in exequiis Bethuniæ Abbatissæ, Vita Cassiodori unacum compendio Historiæ illorum Principum, quibus Cassiodorus sua servitia impendit. Historia S. Gregorii Magni. Reflexiones in Epistolam Germani Abbatissæ circa editionem tomi ultimi operum S. Augustini: Epistola cujusdam Doctoris Sorbonici circa reflexiones cujusdam Theologi contra Benedictinos, & Opera omnia S. Gregorii M. recens edita, denique operam suam contulit ad primos quatuor tomos Galliæ Christianæ auctæ & emendatæ. Adscribitur etiam eidem epistola ad Abbatem de la Trappe, & collectio quarundam literarum circa epistolas ad eundem Abbatem scriptas. Il. Carolus Ruæus Jesuita, qui præter sermones panegyricos, funerales, quadragesimales, Adventuales, aliasque orationes Sacras etiam edidit Libros IV.

carminum & tragœdiarum necnon Virgillum in usum Delphini; vixit annos octoginta duos mortuus die 27. Maij. III. Caspar Feuille Ord. S. Dominici, qui scripsit Theologiam intellectus & Cordis. IV. Franciscus Gacon Presbyter Oratorii, qui vulgavit *Poetam sine fuco*, satyram contra Bossuetum, Homerum vindicatum, fabulas de la Mothe, annotationes in Anacreontem &c. V. Julianus Garnier Benedictinus, qui primos duos tomos Operum S. Basilii in lucem emisit, quam elegantissimam editionem Prudentius Marau complevit. VI. Franciscus de Choisi Bajocensis Ecclesiæ Decanus, qui elucubravit quatuor Dialogos de immortalitate animæ, de existentia & providentia Dei, Historiam Ecclesiasticam, & Historiam itineris ad Siamense Regnum, ad cuius Regem unicum Equite Chaumontio ablegatus erat. VII. Ludovicus Doucin Jesuita, qui posteris reliquit Historiam Nestorianismi, & Origenismi, seu turbarum, quæ in Ecclesia ob Originem, ejusque doctrinam exortæ sunt. VIII. Jacob Echard Dominicanus, qui duos tomos Scriptorum sui Ordinis concinabat. IX. Zacharias a S. Joanne Baptista Carmelita Excalceatus, qui scripsit dissertationes Theologicas de

Sæc. XVIII.  
A. C. 1725.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1725.

Deo, ejusque attributis, de Augustini doctrina contra Pelagianos, & de Gratia Christi, de motibus voluntatis & vera libertate contra Jansenium, de schismaticis Orientalibus præcipue de Armenis, de Primatu summi Pontificis & ejus auctoritate circa fidei controversias, tractatum de usura, dissertationem de Bulla Sabbatina, & cursum integrum Theologiæ moralis. X. Cherubinus a S. Joseph ejusdem Instituti Scriptor celeberrimus & linguarum orientalium, ac Rabinicarum traditionum notitia insignis qui Bibliothecam Criticam Sacram circa omnes ferme Sacrorum librorum difficultates quatuor majoris molis voluminibus comprehensam prælo commisit, eamque Clementi XI. Pontifici nuncupavit, alios adhuc octo ejusdem Bibliothecæ tomos editurus, nisi Bruxellensi urbe a Fœderatorum copiis occupata in Provinciam suam Aquitanam remeare compulsus fuisset, non sine magno rei literariæ detrimento, cum Burdigalæ deessent Typographi, qui aut characteres Hebraicos haberent, aut in iis edendis exercitati essent; cumque ætas propecta aliorum transigrare non permetteret, sequentium octo voluminum editio præpedita fuit. Auctor tamen aliud opus ad omnium captum magis accommodum

dum publicis juris fecit, sub titulo *Summa Criticæ Sacræ*, cujus novem Sæc. XVIII.  
A. C. 1725.  
tomi Burgidalæ prodierunt. Edidit quoque plura Theologica de scientia Dei, de Divinorum decretorum efficacia & prædestinatione, de summo Pontifice, de Pœnitentia, de Missa, Eucharistia, Communione & liturgiis. His accedit Physica, & plura alia de Geometria, Astronomia, Optica, Musica, Geographia, Arithmetica, necnon de Rubricis tum Missæ tum Divini Officii, præter alia miscellanea, quæ omnia ab eo exarata in Burdigalensi Carmelitarum Excalceatorum Conventu asservantur.

## §. XLII.

*Scriptores A catholicis hoc anno defuncti, eorumque opera.*

Inter Scriptores A catholicos, qui hoc anno decessere, celebriores sunt. I. Paulus de Rapin de Thoyras ex illustrissima familia ortus, qui scripsit Historiam Angliæ decem voluminibus, necnon dissertationem de Wighs & Torrys præter excerpta ex Anglicis actis Rymeri: Pater Niceron hunc Scriptorem valde commendat, ex eo, quod a partium studio alienissimus fuisset. II. Martinus Chladenius, qui edi-